

Q. B. F.

# DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> HISTORICO-POLITICA

De

# **POENA HOMICIDII**

## VETERUM,

## Præcipue

## SVEONUM,

*Quam cum conser-fu Ampliss. Sen. Phil. Aboens.*  
**Sub Præsidio**  
*Viri El.*

Mag. ALGOTHI A.  
SCARIN,

Ph. civ. Prof. & h. t. RECt. Magnif.  
Pro GRADu in PHILOSOPHIA  
*Ad publicum examen deferit*

## Alumnus Regius

LAURENTIUS EREDAHE

Wex. Smol.

Die 28. Novembr. MDCCXXX.

### *Horis locoque solitis*

Aboæ, exc, Joh. Kiämpe R. A. Typ.

S:æ R:æ M:tis  
magnæ fidei VIRO,  
Patri ac Domino reverendissimo,

**DN. GUSTAVO**  
*ADOLPHO*  
**HUMBLE,**

S. S. Theologiæ DOCTORI consum-  
matissimo, Inclitæ diœcæeos Wex-  
EPISCOPO eminentissimo, ven. i-  
bid. Consistorii PRÆSIDI gravissimo  
gymnasiorum & scholarum per di-  
œcesin EPHORO accuratissimo,

Mæcenati maximo.

**Q**ue me vis audacie impulerit, ut  
migno TUO nomine, Reverendissi-  
me Episcope, rudiores basce pagellas illustra-  
re ausus sim, palam exprimerem pluribus  
ni extantiora essent. Illa in omnem rem  
literariam merita, quam ut communioni  
tanta

tante spei excludi possit ullus Musarum  
cultor, nedum ego, cui, ut TUE gratiae  
& clientela alumnus evaderem, fortunatè  
beatus contigit nuper. Incredibile quan-  
sum me, ceterosque in hoc literarum studio  
herentes Wexionenses TIOS, exhilara-  
verint tabellæ publicè actorum illæ, quæ TE  
PRÆSULEM sacerorum, spei & fortuna-  
rum nostrarum Arbitrum, à S. R. M. con-  
stitutum nun iavere. Qvod meum erat, ego  
secretiori mox indagine mecum deliberare  
cœpi, quâ votorum religione meum gestien-  
tis animi affectum exprimerem, TUIque  
sanctissimi muneric auspicia celebrarem.  
Cumque xenium bac procul diffita imperii  
SVEO-GOTHICI regione, utpote ipsa opis  
multo egentissima, nullus invenirem, quo  
meam TIBI pietatem cultumque debitum  
oppignerarem, latifundia scrutatus reipu-  
blicæ literariae in presens incidi argumen-  
tum, quod exilis munisculi loco concin-  
narem: TIBIque tanto gratum magis  
acceptumque fore spero, quanto de TE  
pridem, antiquitatum suarum interprete  
diligentissimo, sibi historia patriæ nostræ  
civilis

civilis enixe gratulatur. Et, sicut primum  
est videre, ex futuris civibus nequa-  
quam defuturos historicos, qui in TUIS  
laboribus posteritati commendandis glori-  
am consecabantur: ita, ut summum Nu-  
men TEMET ordinis ecclesiastici decus &  
ornamentum, cum primis vero ecclesie  
litteratæque in patria pubis Antistitem  
multo desideratissimum, quam diutissime so-  
spitem & superstites praestet, etatem pre-  
cabor

Reverendiss. Nominis TUI

Devotissimus cultor

Laurentius Ekedahl.

*Nobilissima Domina*

Dn. JOHANNI WILLHELMIS,

Regiae Ammiralitatis Holmensis Capitaneo strenuissimo, & per quinque annos Nutritio propensissimo.

*Adm. reverendis præclarissimisque*

Dnn. MAGISTRIS,

In Regio gymnasio Wex. Lectoribus & Confess. ecclesiast. Adiutoribus laudatissimis,  
Singulisq; promotoribus meis  
faventissimis.

*VIRIS plurimum reveren-*  
**Mag. JACOBO FLACHSENIO,**  
ecclesiarum Rydaholmensem Pasto-  
ri, adjacentisque districtus Præposi-  
to, merissimo.

**Mag. PETRO COELIANDRO,**  
In Alsheda / Skiede & Hkna / quæ  
Deo colliguntur, ecclesiarum Pa-  
stori dignissimo.

**V**obis exiguam hanc quoque opellam,  
venerationis & grati animi obsidem,  
retinendi, votoque pro incolumentate Vesta-  
cram es-

Nominum

Cultor ob-  
Laur. J.

dis atque Clarissimis.

Mag. DANIELI LANNERO,  
Scholæ cathedr. quæ Wexioniaæ est,  
Rectori dexterimo, confirmatoque  
Pastori in Nöbbeled vigilantissimo.

Mag. BENEDICTO NORLIN,  
In Skirö & Öhe parœciis Pastori  
solertissimo.

Patroni & Promotores optimi, ve-  
cum spe certissima favoris in posterum  
vestrorum omnium ardentissimo, sa-  
se voluit.

Vestrorum

servantissimus

Ekedahl.

## SYNOPSIS Capitis I.

- I. Brevis historiæ commendatione, viam ad præsens pandit argumentum.  
II. Variorum, in causa homicidii mitiori intentium pœna, exempla adducit popularum.  
III. In ecclesia Christianorum primitiva, nullum capitalis pœna viguisse rigorem, ostendit.  
IV. Nec apud veteres olim Socratos, in homicidiis adhibitum fuisse vulgarib⁹, asserit.  
V. Preterquam in illos commissa, quibus major reverentia, amor vel fides debetur, pecunia expiari potuisse, evincit.  
VI. In mulctæ executionem, ejusque sibi per propinquos satisfactionem, inquirit.

## Cap. II.

- VII. Rite statum format controversiæ, simulq; explicationem ad fert terminorum.  
VIII. Possibilitatem aggratiandi ex iurantum adstruit naturæ.  
IX. Consilii & moris quorundam Regum aliorumque de gratiæ, ex causa rationabili, remissione, profert exempla.  
X. Promiscue hanc tamen, sine causis fieri prudentibus, non debere veniam consenserit, sicque finem imponit opellæ.

J. N. D.

CAPIT PRIUS.

Thes. I.

**I**n signem *Historiarum* orbis apud omnes homines, præcipue vero eruditos, fuisse aestimationem, sciendi desiderium, quod humano generi inseruit, & in hoc in primis studiorum genere natura occupari delectarique voluit, plus satis indicat. Neque de nihilo illa ingenio humano divinitus impressa vis est.

A                  Dum

Dum enim alia parvo tempore durant, variisque casibus obnoxia sunt monumenta, *historiae* per universum orbem diffusa vis, ipsum, quod cetera alioquin consumit, *tempus* sui habet custodem, magnamque iis, qui recte eam auspicantur, confort experientiam; præbens se testem malitiæ malefactis, beneficam erga ea, quæ digna memoratum virtute transacta sunt. Et quotusvisque est, qui non tantam, si non majorem, utilitatem in omni vita sua, consequitur ab *exemplis* magnis, annualium fide prolatis, quantam ex *ceptis* diligenter & assiduo inculcatis. Commendant serio nullam non virtutem *præcepta* seu utilem & publice necessariam; ad eandem autem itinere tantis non difficultatibus obsto, ut non industria & labore super-

superari possint, posita illustri  
in annalibus loco, heroicæ vir-  
tutis exempla plurima monstrant.  
Unde verissime adque rem præ-  
sentem apposite, qvamvis a Sy-  
racide, dictum existimamus: re-  
spicite in nationes hominum & sci-  
tote, vertente nostro Megalan-  
dro: Sehet an die exempel de-  
rer alten/ und mercket sie (a).  
Mihi proinde cum, præter ce-  
teras bonas literas, historiarum  
& prudentiæ civilis studium ad-  
modum arriserit, occasione Ta-  
citi de Germanis testimonii, qvo  
asseritur apud ipsos homicidium  
lui certo armentorum pecorumque  
numerū (b), qualem Sveo-Gothi olim  
veteres statuerint homicidio pœ-  
nam, paucis dispicere animus  
est. Dabit illa morum & insti-  
tutorum utrinque facta colla-  
tio ansam, cum utriusque gen-  
tis consanguinitatem penitus

4

noscendi , cum quoque moralitatem legis & moris hujus excutiendi, utrum naturalis & revealatae legis auctoritati quidquam humana illa legislatione decedat? Non nego imbecillitatis meae conscientiam animum in suspensu diu tenuisse , utrum institutum tot tricis involutum, aggredi auderem, an vero hastam ante pugnam abjicerem: tamen cum animum & fiduciam dubitationi meae addiderit celeberr. PRÆSULIS favor & indulgentia, omnibus, quæ propositum deterrere possent, sepositis, argumentum, Numine propitio , suscepi elaborandum , cathedræ philosophicae, in qua venit examinandum, ut spero , non inconveniens, quamdiu leges sui fori servet, temeritatemque instituendi alios penes invitatos spicilegii, quantum fieri potest , fugiat & abhor-

horreat. Qua vero fieri poterit brevitate peragam, cum multa cumulare non sinat res domi angusta; eoque mitiorem Tuam mihi, *Cand. Lector*, pollicenor censuram, quo certius constat, amorem vetustatis prope solum & studium patriæ annalium inchoavisse, provexisse, & in orbis literati lucem, hoc quidquid fuerit opellæ, demum protrusisse.

(a) *Cap. II, II.* (b) *c. XXI, 2.*

*Thes. II.*

**E**Tiamsi nomen valde sit nouum atque odiosum homicidæ, vi cuius, nobilissimum naturæ opus, homo dissolvitur, ut injuria vix ulla asperius censi puniri que mereatur: difficiulis tamen & plane diversa, atque nunc est, hujus olim delecti puniendi ratio invaluit;

quip-

quippe in pecuniam & bona fre-  
quens apud omnes gentes pœnæ  
erat executio , in vitam vero  
rarior. Sic *Germanis*, puta ma-  
ris *Shevici* circumqvaque vicinis,  
homicidium certo armentorum  
ac pecorum numero, uti ex al-  
legato *Taciti* loco apparet, præ-  
fertim luebatur, qvod manife-  
sta nimirum crudelitate videba-  
tur commissum ; leviora vero  
facinora, equi vel pecoris damno.  
Namque, ut gregibus armen-  
torum ac pecorum , tanquam  
familiari, omnium , post homi-  
nes, re acceptissima veteres se  
oblectariint; nempe pretio tan-  
to non dum nobiliori metallo ,  
quantum hodie invaluit, passim  
& ubique constituto : sic, ha-  
rum extorsione & jactura opum,  
quoque multam publicam ad-  
metiebantur , pro qualitate de-  
licti majorem minoremve. Ita  
vero

verò domui universæ hæc , ex  
legislatione veteri, exsolvebatur  
mulcta , ut communione lucri  
illius nullus omnino excludere-  
tur. Quod si enim negligeretur  
aliquis familiarium, contentio  
primum, mox actio quoque , ex  
non plena satisfactione, fuit ex-  
orta. Et , quod *Romanos* attinet,  
uti nulla olim delicta morte pu-  
niverunt: ita apud eos diu ho-  
miciidium mitiori quoque pœna  
coércebatur. Ab initio *reges* e-  
orum homicidii conscos quos-  
que non nisi arrietis damno mul-  
ctabant , quem in sacrificiis *De-*  
*orum* expendere conservaverunt ;  
adeoque, ante argenti aurique  
usum , utpote qui orbis regnà  
non dum omnia pervaserat, ex  
noxiorum bonis sacra diis exhi-  
buisse feruntur. Quid? quod  
*Rome* neque multari quempiam  
gravius decebat, quam triginta  
bo-

bobus & duabus ovibus, vide-  
licet: bove centuſſibus, ove ve-  
ro decuſſibus æſtimata. Qua-  
propter inuictæ pecuniariæ de-  
inceps qvoqve, juxta hunc va-  
lorem, præfiniebatur modus, ut  
eſſet peccati cujasvis atrocissi-  
mi æſtimatio omnino trium mil-  
lium & viginti affium ( ). E-  
jusmodi autem legum conſve-  
tudines iſtis populis uſu rece-  
ptas, apud plerosqve etiam *ce-  
teros* viguisse, homicidiique pœ-  
nam apud nullos capitalem ob-  
tinuisse, cuivis, non prioris æ-  
vi prorsus ignaro, affatim con-  
ſtat. Quod vero hæc publica  
veterum conſuetudo plectendi,  
temporum lapsu, acerbiore pœ-  
na permutata fuerit, haud du-  
bie ſuſu *Cleri Pontificii*, ſub va-  
riis titulis, jurisprudentiæ di-  
næ interpretationem ſibi ſolis  
vindicantium, factum eſt. Sic

quæ

quæ in Polonia ratio plectendi  
homicidia vetus, ad tempora  
*Casimiri M.* obtinuerat, &, illo re-  
gnante, in multam pecuniariam  
mutata erat: apud successores  
carceris diuturniore poena insu-  
per exasperata fuit. Donec sub  
rege Poloniarum *Stephan.* abro-  
garetur omnis alia poena homi-  
cidii, & capitalis omnibus ab-  
solute temerariis homicidis irro-  
garetur, quod factum itidem  
Curiæ Romanæ ministerio ad-  
scribendum. Erat enim rex il-  
le isti hominum ordini ad super-  
stitionem obnoxius adeo usque,  
ut, quidquid illi de antiquiore  
lege Divina, quam consuetudi-  
ne regni Polonici, auribus ejus  
insurrarent, oraculi instar su-  
spexerit, &, sine prævia delibe-  
ratione, civibus suis exequen-  
dum imperaverit (*b*). De his  
autem Polonis, ut & Danis, An-  
glis,

glis, Frisiis, Holsatis, Saxonibus, Bajuariis, Alemannis, aliisque, qvod pœnam & satisfactionem pecuniariam, occisi propinquvis persolvendam sanxerint, quandoquidem, ante me, probatum ivere juris publici scriptores plurimi, si in hanc rem plura desideraverit qvisquam, eorum scripta consulat (c). mihi allatis impræsentiarum exemplis, brevitatis caufsa, acquiescendum.

[a] Willich. in Tacit. §. XXVIII. [b] Pujend. de habitu R. ad Societ. civ. pag. 238. [c] Besold. Thes. præt. voc. Eodsten halsleſen. Schilt. exerc. ad Pand. 49. §. 114. &c.

### Thes. III.

**P**rimitivam Christianorum ecclesiam de pœnarum, non dicam capitalium, sed ceterarum quoque, usu & exercitio, nihil

nihil quidquam novisſe, diluci-  
dius est, quam ut multis proba-  
ri opus sit; pœnitentiā enim pu-  
blica oīnis apud illos animad-  
versio absolvebatur. Qvis ne-  
scit ad *Constantinum usque Mi-*  
*gnum*, integris tribus seculis,  
quemadmodum territorio, ita  
statu atque magistratu, inter i-  
psos, civili caruisse *Christianos*,  
ut adeo omnes cauſſæ, gravis-  
simorum licet delictorum, tan-  
tum ab *episcopis & senioribus di-*  
*judicarentur absque ulla capitis*  
*pœna*; non tamen sine severa  
ecclesiæ disciplina, quam cano-  
nes Synodorum antiquarum di-  
ctitarunt. Ita ex conciliis *Ancy-*  
*rani decretis videre est de mul-  
eribus, quæ partus necaverint,*  
*& quæ utero conceptos excus-  
ferint, quod ad exitum usque*  
*vitæ easdem ab ecclesia remo-  
verint antiqui: humanius vero*

a pa-

a patribus illius concilii decem  
annorum tempus tributum sit<sup>(a)</sup>.  
Et Cap. XXII. hæc sententia le-  
gitur: qui voluntarie homicidium  
fecerint, ad pœnitentiam quoque ju-  
giter se submittant, circa exitum  
vitæ vero communione digni habeant-  
tur. Cetera prætereo Iciens,  
quæ in hanc rem ex actis dicti  
concilii haberi possunt. Dissi-  
milia, qvod ad publicam pœni-  
tentiam perpetratæ cædis, neque  
in concilio *Elibertino* percrebue-  
re: *Si quis per malitiam occide-  
rit hominem, ei nec in fine est im-  
pertienda cum aliis communio san-  
ctorum* (b). Quibus patet, non  
omnino negare illius concilii pa-  
tres convictum civilem homici-  
dis, sed sacram duntaxat com-  
munionem; qui tamen rigor  
postea ab *Innocentio I.* & concilii  
Nicæni canone XIV. est miti-  
gatus. utpote cuius sanctione

sta-

Statutum fuit: viaticum non penitus denegandum esse lapsis in fine vitæ. Hinc autem nemini non in aprico fore existimaverim, quod noluerint, quantum in se, penitus præfules tum temporis ecclesiarum quidquam negotiorum, christianos attinetium, a judicibus gentium judicari. Quin, neque alia apud illos ratio habebatur criminum, quibus forte capit is poena legibus divinis decreta erat, quam ut animabus delinquentibus censura tantummodo spirituali consulerent. Et, pessime egissent, verba sunt Cl. Hannekenii, viri in scripturis valentes, & pietati erga Deum omnino dediti, si culpam sanguinis dilui non posse in scripturis offendissent, nisi fuso sanguine delinquentis, & neglecta illa poena, poenitentiae locum, pro remittendo peccato, dedissent (c).

[a] cap. XXI. [b] conf. Cab. not. eccl. cies. Sec. II. diff. 8. Forbes. a Corse instr. Theol. lib. XII. 6. &c. [c] Phil. Lud. Hannek. tract. de jur. gr. p. 21.

## Thes. IV.

**S**IC breviter adductis, quæ at-  
tinent historiam & anim-  
adversionem sanguinis humani  
in diversis gentibus usitatam,  
ordinis svaldet nexus, ut ad hu-  
jus criminis ejusque poenæ, qua-  
lis apud *Sheones* olim invaluit,  
mentionem injiciendam propi-  
us accedamus. Ubi primo non  
omnino prætereundem, legis-  
latione cum politici, tum in-  
primis ecclesiastici ordinis civi-  
um, pro diversitate actionum at-  
que circumstantiarum, quæ de-  
lieti formam absolvebant, aliam  
atque aliam quoque eisdem con-  
stitutam tuisse expiationem; ita  
ut *vulgaria* ipsis dicta sint homi-  
cidia,

cidia, quæ vel in subitaneo quo-  
 dam iracundiæ calore, vel ex  
 composito exertis utrinque ar-  
 mis, committebantur: qvorum  
 vindicta, juxta ordinariam le-  
 gem pœnalem, nunquam fuit  
 capitalis, nisi jure *Gothorum* in  
 certis tantum casibus. (\*) Quam-  
 obrem pœnâ pecuniaria, ea-  
 demqve quadraginta marcis de-  
 terminata solum, illud redimen-  
 dum erat homicidii genus, quæq;  
 ipsis *Sporgiuld* mulcta diceba-  
 tur. De cetero, non huic so-  
 lum, sed & omni homicidarum  
 generi universalis illa constituta  
 fuit regula: *gialdí ingen liff* / *firi*  
*liff/ eller lem gen lem/ soin bo-*  
*thom orckar/ eller oef borgen till*  
*fulldra botha/ i. e. nemo vitam*  
*pro vita, aut membrum pro membre*  
*ponat, qui multam prestare potest*  
*aut fide jussores de multa (a). Un-*  
*de etiam legibus antiquissimis*  
*homi-*

cidia, qvamvis in sexum & æ-  
tatem imbellem commissa, non  
nisi pœnæ pecuniariæ vicem su-  
stинuerunt. Quin, si accideret,  
ut ex suis bonis multam præ-  
stare reus nullo modo posset,  
tanti tamen nunquam æstimata  
fuit magnitudo delicti, ut capi-  
te aut corpore omnino noxam  
lueret. Verum pro rata, mo-  
do ipsis sanguinis alieni vindici-  
bus, puta consangvineis, mul-  
ctæ quantum intererat, decerpe-  
batur, modo ipsius rei propin-  
qui in partem vocabantur alie-  
næ culpæ & debiti præstandi.  
Mulierem homicidam sisti judi-  
cio, nisi per tutorem, legibus  
vetitum omnino erat. Capite  
vero plecti eandem, aut exilio  
interveniente, patriâ prohiberi,  
( quam viris pœnam identidem  
leges imperant ) veteres igno-  
ravere penitus, qvi confiscatis  
opibus

opibus noxiæ mulieris, si sufficerent, sibi & civitati plus satis supplicii datum existimarunt: Si non sufficerent, residuum mulætæ tutoris culpam, ejusque præstationem, esse voluerunt, qvod, sui negligens officii, debitum & possibile moderamen alieni facti intermisisset. (b). Demum, quod a furioso commissum fuit homicidium, pro voluntario itidem habebatur, si morbus non palam notus esset; sin publicavissent, casuale æstimabatur (c). Et, qvod recentiora tempora attinet, licet homicidiis ejusmodi vulgaribus pœna tandem capitilis statuta fuit circa medium seculi Christiani quintidecimi, non tamen absolute, sed certa sub ratione, inque certo casu, talis decreta fuit. Nimirum: si homicidium non modo esset destinata malitia prof-

Etum, (skiedt med lust och utan  
olla lifsñöd), sed & reus in ipso  
facinore, aut intra diem perpe-  
tratae cædis, comprehendendi posset.  
(d). De fugitivis vero, ut ut  
iisdem quoque poena capitis ea-  
dem lancita fuit, ex usu æquita-  
tis & juris cennati, adeo tamen  
naturalem hominis abolitionem  
non semper & necessario impor-  
tabat, ut non salvum condu-  
ctum rev, & redeundi ab exfi-  
lio potestatem eidem, facerent  
civilia jura (e). Illo autem ob-  
tentio privilegio, quemadmo-  
dum a rege aut lege vis non  
timenda homini amplius aliqua;  
ita, si vel actores placaret & hæ-  
redes occisi, ad quod ei men-  
struum datum erat spatium, vel  
in judicio crimine se purgare  
posset, a periculo vertendæ ite-  
rum patriæ, opumve amitten-  
darum, securus deinceps evasit.

Quod

Qvod si neutrum posset aut vellet  
præstare, redire in pristinam  
conditionem licuit, permisso, ad  
fugam & exportationem rerum  
fuarum, quatuordecim dierum  
spatio & libertate.

\* J. O. Stiernh. de Sveon. iur. veteris.  
lib. II. Cap. 4. pag. 346. [a] Auct. cit.  
lib. I. c. 10. p. 128. [b] lib. II. c. 4. p.  
355. & Boldii dissert. de fatis religionis  
in Scandia, p. 161. [c] Stiernh. II. cap. 4. p.  
357. [d] Landsl. Dråpm. B. I. Cap. 2.  
[e] Kong. B. L. L. passion, cui addi pos-  
junt, quæ in eandem sententiam loquun-  
tur ceteræ Leges antiquæ, utpore L. L.  
Upland. cap. 31. Manhelg. item Leges V-  
G. & O-G. toto titulo de homicidio.

#### Thes. IV.

**Q**VIN, a priscis temporibus  
quoqve aliquis persona-  
rum, & ceterarum rerum, respe-  
ctus habebatur, ut, a quibus,  
in quos, qvomodo, quo tem-  
B 2 pore

pore & loco homicidium factum  
fuerit, perpetuo observatum sit.  
Cujusmodi intuitu, maiores  
Sveo-Gothi cædis pretium mo-  
derari, remittere, exasperare,  
duplicare, immo majoris quo-  
que non raro intendere solebant.  
Sic, e. g. si arcu vel cultello  
perpetrata foret cædes in locis  
solitariis, in ædibus imperfecti  
propriis, in foro, die mercatus,  
septem ante adventum, vel to-  
tidem post abitum, regis e pro-  
vincia diebus, in expeditione  
publica, in sponsum sponsam-  
ve, pronubum aut pronubam,  
& pararios diei nuptialis, in fæ-  
minam, impuberem, senem,  
invalidum, aut executorem pu-  
blicæ sententiæ, duplicabatur.  
Si vero in locis privilegio do-  
natis, utpote: in templo, cœme-  
terio, judicio, latrina, officina  
cujusque propria, lecto aut cæ-  
na-

naculo; idque in parentes, liberos, fratres, forores vel infantes peracta esset, tergeminæ se veritati pœnæ obnoxius habebatur reus. Sola autem Regis, conjugis, dominique sui cædes, quam *in specie Nidhings werck* nuncuparunt, capitis digna habebatur supplicio, cum publicatione bonorum. Reliqua, quantumcunqve esset, noxa criminis, vel sola expiari potuit pecuniaria taxatione, uti supra evictū est. Ecclesiasticæ verò personæ privilegiū incolumentatis, cæde violatum neqviter, quanti olim æstimatum? illud, quamvis nullo non jure gravissimo taxatum supplicio fuerit: pecuniaria pœnâ & canonica censura, qvæ incolumi vitâ fieret, perinde tamen expiatum fuisse legitur. Sic, cum patriæ procerum non nemo *Gutschalcum Lincopenent* epi-

episcopum trucidasset; ad mitigandam Domini & sedis Apostolicæ offendit, secundum statuta apostolica & jura canonica, multo, præter ecclesiasticam censuram, argento noxam istam, non capite, redemit. (a) Quod vero vilioris sortis homines attinet, inter eos etiam non nihil discriminis intercessisse in nostra republica, perinde atque *Israëlitarum* lege (b), exinde apparet, quod minoris, quam aliorum, æstimata semper fuerit interemtio liberti ex servitute ære redempti; item illius, qui regni fines instabilis & vagabundus discurreret, alioquin dictus *Håradspäckter*. Nam, etsi ordinaria cædis eaq; pecuniariâ pœna expiari debuit; exilio tamen, vel direptioni bonorum, hæc cædes aliena non fuit obnoxia (c). Sic lurconum & scurrarum valde erat

rat exiguum vitæ pretiū constitutum ; Mimorum vero & citharœdorum penè nullum. Interficiens enim lurconem , sine certis sedibus vagantem , tribus tantum marcis puniebatur ; Mimo autem & citharœdo , per vim injuste sublato , hoc pœnæ ludicrum sanctum invenitur : statuebatur triennis & robusta in colle (d) edito juvenca , quæ alieni sanguinis vindici in satisfactionem cederet , si , novis & bene inunctis chirothecis , eandem , tribus flagelli ictibus impulsam , à cauda continere posset , ne manibus suis elaberetur . Triente quoque minor erat mulcta pecuniaria pro cæde *Dani & Norvegi* , quam pro reliquis . *Germani & Angli* quadrante ; quia hos solos , ut commercantes , novissime vicinos videntur miores nostri . Exterorum quicunque

que iacris iniciatus erat, (quales pleriq; sub initio Christianæ religionis) pari cum indigenis jure perpetuo fruebatur; quemadmodum Gotschalchi episcopi, Alberti regis cognati, exemplo modo evictum est. Tandem vero leges Birgeri Furli, datæ Gotbis, hujus vetusti juris auctoritatem delevere penitus, quæ in atrocioribus, qualia pleraque ante memorata, vitam vel bona adiument, pulso in exsilium reo.

[a] Formula excommunicationis, cum suis ceremoniis, accurate expressa inventur monument. eccles. collectionis Spegel. p. 130. Sc. quā cum conferri meretur Spegels Hist. Eccl. II. p. 206. item Messen. Scand. III. p. 27. [b] Exod. XXI. 21. [c] Stiernb. lib. II. cap. IV. p. 359. [d] ejusmodi collis, vernacula lingua veteri, Båsing appellatus, prope Larfensem ecclesiæm V-Gothicæ, sub eodem nomine, etiamnum invisitur.

Theſ.

Ceterum, ante usum pecuniæ, uti commercia apud Sveo Gothos, quemadmodum Germanos ceterasque gentes, præcipue Scythicas, in sola consistebant rerum permutatione: ita mulæta quævis, mercium, quæ penes easdem obtinere, pretio quoque tantum æstimabatur, putæ: pecoris, armenti, frumenti & cujuscunque supplœctis. Pecora enim & agri solæ divitiæ illis erant & pro pecuniis habebantur. Quin, noxam Domini ædificia non raro quoque luerunt. *Amundus Kohlbrâna* certe mulætam iisdem constituit, ut, pro qualitate delicti, ex parte vel in totum igni subjicerentur; sed, præterquam quod hostilem quandam præ se ferret devastationem illa lex, qvin & publice triste visu & deforme spectacu-

culum pœna ingereret, neque  
 læso satisfactionem, neque  
 reo grande afferret damnum,  
 torpentibus de cetero ad ædifi-  
 ciorum curam civibus, æquo  
 jure deinceps in desuetudinem  
 abiit. Quod ad executionem  
 mulctæ, notatu dignum & pe-  
 culiare omnino erat, quod illa,  
 quemadmodum apud Francos  
 veteres, ita Gothos qvoq; genti-  
 les, non modo reum principa-  
 lem, sed etiam agnatos cognati-  
 que ejus, respiciebat; adeo ut  
 si fugam reus, quam mulctam  
 mallet, eandem hi nihilominus  
 præstarent, quæ proinde Oran-  
 boht appellata fuit, i. e. exsolu-  
 tio pro aliis, sive mavis: satisfa-  
 ctio pro evitanda inimicitia; ora  
 enim verbum est, significans:  
*inimicitias gerere*, unde phrasis  
 hæc: han orar wider, i. e. cum  
 quo inimicus est (a). Dicebatur

alio

alio etiam nomine: *Atteboht*/ i.  
e. multa ad familiam pertinens,  
quoniam à familia familiæ solve-  
batur, in primis in causa homi-  
cidii atque adulterii. Cujus ea-  
dem videtur fuisse ratio legis;  
quæ vindictæ publicæ, ob homi-  
cidium clandestinum ( *Dulgas  
drap* ) territorii incolis & olim  
& hodie constitutæ, non ob con-  
spiracyem & positivum ad læ-  
sionem influxum, sed ob con-  
niventiam, admissamque, in pa-  
tratore investigando, qualem-  
cunque oscitantiam ( b ). O-  
portuit autem modo dictam pro-  
pinorum intra annum fieri  
solutionem, & quidem præsti-  
tutis temporum intervallis, ni-  
si semel simulque totum solvere  
maluissent. Interea homicidæ,  
ejusque proximorum, fugien-  
dus omnino erat conspectus; i-  
ta ut cum illis nec in templum  
convenire, neque una ad judi-  
cium

cium ire via, jura voluerint permisum. Quin, alibi statutum tandem invenitur, ne quidquā in posterum agnati cognatique inviti præstarent, sed pœnam unice redderet is, qui homicidio se pœnæ obstrinxisset, cuius etiam pœnariæ satisfactionis hæc erat cautio: ut, in conventu publico, prius de satisdatione caveret, eamque tribus offerret diebus, quod nisi fecisset, proscriveretur, ac tum demum triens mulctæ ab agnatis, triens à cognatis, exsolveretur. Præterea, & alia quædam peculiaris fuit satisfactio, in cæde servi & ministri adhibita, qvæ nominata est Eucaboh / quasi à taetu, ob dignitatem quodammodo tactam, imminutam vel læsam; sed quæ dominis tantum digniori in officio constitutis propria erat, eorumque auctoritati dicata (A).

CA-  
[1] [iur. O-Goth. Cap. 7. [b]] confer

Deut. XXI. & Thomas. *notas in Huber. de jure civit.* III. 2. 5. p. 646. [c] Sepius cit. *Stiernb. lib. II. c. 4. p. 354.*

## CAPUT POSTERIUS.

*Thes. VII.*

**E**xpensis haetenus, quæ veterum Gothorum, & ceterarum gentium, in homicidio puniendo diversum modum resipiciunt, quæ publica, nostro hoc seculo, obtinet cædis humanæ vindicandæ ratio, cum sua moralitate, in hac posteriore dissertationis parte breviter & summatim excutienda venit. Et, quemadmodum justo olim indulgentiorem homicidis pœnam irrogatam fuisse, è superioribus constat; ita ex adverso non levis, eruditos inter, de pœna, quæ hodie constituta est homicidis, contentio agitari solet: utrum capitalis illa, quæ apud

Euro-

Europæas gentes ubique fere in-  
valuit, non ex arbitrio justo prin-  
cipis aggratiari, mitigari, aut æ-  
quali alia, que incolumi vita ir-  
rogatur, permutari possit? Mi-  
hi de pondere magis, quam  
numero dissidentium à se invi-  
cem calculorum, sollicito, cum  
paucis affirmatur quæstio. Quo  
ipso tamen aliorum gravissimo-  
rum virorum auctoritati obstre-  
pere, aut ipsis dicam scribere,  
nullus volui. Saitem illi mihi  
neque invideant de veritate da-  
ti problematis facultatem inqui-  
rendi, ejusdem debito modo  
executiendi. & denique consci-  
entiæ meæ convenienter de eo-  
dem liberè pronunciandi. Atque,  
ut reliqua eo proferri queant li-  
quidius, quædam de significa-  
tione præmittenda veniunt ter-  
minorum. Est autem Philo-  
phis & Jurisconsultis *aggratiare*  
*idem*

idem quod gratiam amissam re-  
stituere , seu , data venia delicti,  
pœnā remittere , mutare, aut im-  
minuere. Gratiam vero pec-  
catis facere, contra legem patra-  
tis, non alterius est, quam le-  
gislatoris , seu illius, qui  $\gamma\circ\kappa\circ$ .  
~~pro~~ gerit in republica , sive ea  
irregularis , sive regularis, mo-  
narchica , aristocratica an vero  
democratica audiat. Quin , il-  
lud neque prætermittendum ,  
cum de homicidii aggratiandi  
jure principis sermo instituitur ,  
agi non de præcepto , sed de  
licentia , i. e. per *jus* non intelli-  
gi legem , sed facultatem per-  
sonæ , adeoque magis haberi re-  
spectum ad potentiam , quam  
actum ejus & exercitium. Un-  
de, non confundenda hæc quæ-  
stio cum alia : *annos obstrictus*  
*sit omnino princeps omittere pœ-*  
*nas capitales ?* quod, cum il-  
lustr.

Iustr. viro Christ. Thomasio, & Formulæ concordiæ auctoribus, jure meritoque negatur. Ipsa præterea vox admonet, cum jure aggratiani non debere confundi officium principis remittendi aut minuendi pœnâm ex doctrina interpretationis legum & æstimationis delictorum; illam quam prudentiam, cum subdelegatis judicibus communem, in consilium & judicium adhibere debet princeps, quoties leges suæ rigide observandæ, aliovorsum tendunt, quam quo tendere debent, adeoque utilitatem cum publicam tum privatam, præter meritum, convellunt labefactantq;

*Theſ. VIII.*

**H**is ita prælibatis, problema ti, in quo diſcutiendo o-  
cupatus sum philosophico & politi-

co, fundainmentum substerno politicum, doctrinam juris naturalis. Illa enim pro ut pœnam flagitiis, quamvis atrocissimis, certam non determinat aliquam, sed eandem à legislatore civili ad decus & tranquillitatem reipublicæ prudenter attemperari voluit: ita pro indubitato tenendum illud quoque, quod, si positiva & particularis lex ab illo fine divertat aliquando, si remissa penitus, in primis vero commutata pœnâ ordinaria alia æquali, necessitas finis reique usque adeo seriæ haberi possit, salva divina & humana justitia, migrari, adque sani sensus formam explicari, queat debeatque. Est, non nego, juris prudentiâ universali sanctum omnino: puniendos esse delinquentes. sed non illico modum in specie omnia in individuo puniendi peccata.

cata determinat. Sicut enim  
medico idem naturale dictamen  
præscribit, ægrotantibus succur-  
rendum esse medicamentis a-  
ptis; ast, quænam eorum apti-  
ora snt, frustra quæret medi-  
cus in *jure naturæ*, cum perti-  
neat ad artem medicam. Et,  
prout neminem in contractibus  
lædi debere, sed res justo esse  
vendendas pretio, jus dictat na-  
turæ; verum justi hujus pretii  
definitio ad solam pertinet pru-  
dentiam regni aut familiæ œ-  
conomicam: simili etiam modo  
pœnæ determinatio ex regulis  
specialibus tori prudentiæq; po-  
liticæ, & non præcile ex univer-  
sali aliquo arcessenda juris fon-  
te. Nam, quod quidam existiment,  
ut verbis Grotii utar, *homicidio*  
*naturaliter respondere capit is pa-*  
*nam, in eo falluntur; pœne enim*  
*delictorum non sunt ipso jure natu-*

re, aut ulli Dei perpetua lege con-  
stituta, sed, pro modo imminentis  
periculi intendi ac remitti solent,  
(a). Quid? quod à Grotio ne-  
que dissentiat Augustinus, cuin,  
in epistola ad Marcellinum co-  
mitem, circumcelliones Clericos  
partis Donati, homicidas ea se-  
veritate legum plectendos dis-  
suadet, quâ talia patiantur,  
qualia pridem ipsi fecissent: im-  
pleret patris potius officium, &  
ita succenseret impietati, ut nec  
mali perpetrandi audacia rela-  
xaretur beneficio, neque pœ-  
nitendi medicina subtraheretur  
suppicio. Hinc, quamvis pru-  
denter, & recte omnino, homi-  
cium pœnâ puniri queat ca-  
pitali, ut vita in tuto sit inno-  
centiuin: non tamen semper  
necessitate quadam inevitabili  
adhibenda; neque ex jure *tali-  
onis* præcise & omnino sumenda

est, quemadmodum illud satis  
dudum dilucide planeque Cl.  
*Pufendorfius* demonstravit (*b*) re-  
rumque civilium gnarus non  
facile quisquam dubitabit. Id so-  
lum jus dictat *talionis*: posse  
Deum, quando ita ipsi, justissi-  
mas ob caussas, visum fuerit, e-  
odem modo malignos homines  
punire, quo ipsi, sine causa,  
alios lacerare ausi sint; neque  
habere eos, ubi paria iis, quæ  
fecere, patiuntur, caussam con-  
querendi, quod ipsis injuria fi-  
at. Quod vero, nulla in toro  
& judicio adhibita proportione  
geometricâ damni atque pœnæ,  
debeat is, qui jus coercendi ha-  
bet, aut qui injuriam passus est,  
eodem modo tantum inferre da-  
mni quantum alter fecit, di-  
vina, eademque naturali, lege  
præceptum non facile quisquam  
evincent. Annon connivet Deus,  
legis hujus auctor, improbis  
non

non raro benefaciens, ad eorum scelera? Christus Salvator noster augustissimus adulteram, lapidibus in lege addictam, sine judicio & poena absolvit ). Quid? principes, legis divinæ custodes, annon illi criminibus nefandis, quibus jure divino positivo universali capitum supplicium sancitum, gratiam identidem, eamque juste & prudenter, faciunt; præsertim ita comparatis, ut occultari, quam manifestari eadem, magis intersit reipublicæ? Scilicet, in divinis æque ac humanis legibus valebit ille naturalis justitiæ & rationis canon: ἀναγκαῖον ἀσκεῖν τὰ μηρά τὸς βαλοπέντε τὰ μεγάλα δικαιοντα. Seu ut rectius exprimitur: Quoties duorum malorum tolli aut puniri, sine magno incommodo, utrumque nequit, alterum, quod minus est, sub ratione boni, necessario eligendum venit. Pertinet

net ad supremam rationem, puta divinam, id in primis agere, ut boni quantum plurimum possit, & in quam plurimis, obtineatur; tantumque diffundatur, quantum ferre possit ratio rerum. Sin contra, Deum ponamus penes se constituisse potentiam, qvod absit! ita despoticō exercere velle arbitrio, ut nil curet creaturārum intelligentium felicitatem, sed intervertat potius instrumenta tantum non omnia, quæ propagandæ in columitati humanæ pridem consecravit, nec sapiens erit nec bonus, nec, ut haecenus justitiæ notio habita est, justus erit censendus. Atque hinc concluditur, qvod si lex alia aliqua positiva, in præceptis ad usum prætentis vitæ pertinentibus, naturali rationi, puta socialitatis legi, contradicere videatur

atur (contradicториæ veritates nullæ dantur), illa apparens pugna sit tantummodo; adeoque sequenda interpretatio ista erit, quæ cum principiis juris naturæ ex certitudine morali, & toti humano generi communi, haustis congruat, præ ea, quæ iisdem modo quocunque repugnet. Inter duæ officia, que simul præstari nequeunt, preferendum illud omnino, quod magis necessarium fuerit, utile atque honestum (d).

[a] ad cap. V. Matth. [b] de jur. N. G. VIII. 3. 27. [c] Job. VIII. II.  
 [d] Pufend. de offie. hominis Cap. ult. paragr. ult.

### Tbes. IX.

**R**ationes & exempla veteris ævi, in antecedentibus prolatæ, licet sufficere posse videantur omnibus, qui non veterum

rum placitis, eorumque auctoritatibus saepe præjudicatis, superstrui volunt veritates philosophicas: iisdem non pigebit tam ex sacris alia, alia ex praxi & constitutione Principum & Doctorum evangelieorum desumpta, succenturiare. Ex sacris, ut taceam cetera, regis Davidis exemplum notissimum est, non ipsi sibi solum, sed etiam Absaloni filio & Joabo, exercituum duci supremo, suoque regimini faventissimo, homicidium deliberatum & insidiosum, modo ad intercessionem aliorum justam, modo ex aliis caussis gravissimis, aggratiantis (4). In correptionem, immo quoque poenam divinam, incurrisse regem ob interemptum nefario dolo Uriam, non nego; sed eadem teste scriptura, incolami & vita & regni, quod in Israele

fraele tenebat, fastigio. Quod  
Joabum & Absalonem attinet,  
ob gratiam iisdem homicidis  
factam, in nullam divini Nu-  
minis iram, nendum publicam  
reprehensionem incidisse, ea-  
dem scripturâ teste, palam no-  
tum est. Neque enim tumultu-  
arie, aut ex affectu vitorio, sce-  
lera horum impunita dimisit,  
ted ex rationibus & imperii  
caussis prudentibus, videlicet:  
ne suppicio virorum, in ani-  
mis civium regnantium, suc-  
cresceret magis quam evanesce-  
ret, quod in republica diu in-  
oleverat, seditionis malum.  
Quid? quod in statu naturali  
Deus ipse, in illa longævitate  
hominum, pœnam homicidæ  
(Caino) talem imposuit, qua-  
lis horrorem homicidii posteris  
multo majorem inculcare pote-  
rat, quam si patratoem statim,

&amp;

& in flagranti criminis, penitus  
opprexisset. Quo etiam certis-  
fimo exemplo patet, pœnas non  
solum nullas naturales, proprie-  
sic dictas, dari, quemadmodum  
instant nonnulli (<sup>b</sup>); verum,  
salva manente pœnâ tribunalis  
divini, \* intendi omnino, remit-  
ti

---

\* Triplicem, ex uno eodemque deli-  
cto, diversis personis non raro oriri  
actionem tralatitium est. Violatur Nu-  
minis sanctitas divinarum legum  
transgressione. Contra universita-  
tem, ejusque leges, peccatur violatio-  
ne quietis, exemplo & contentu le-  
gislationis. Et demum contra pro-  
ximi salutem peccatur, ejusque fa-  
mam possessi. nesque. omnibus hisce  
personis satisfaciendum. Neque, ut  
nius extincta actione, ceteras statim  
extingvi necesse est. Licet ex justa  
causa pœnam, civitati debitam, in-

ti aliave specie pœnâ, in socie-  
tatis ædificationem & salutem,  
juste

---

terdum remittat magistratus civilis,  
pœne & satisfactioni, quam parti  
læse (Målsåganden) debet reus, in-  
primis autem Deo, ejusque legibus  
temere violatis, nihilominus obno-  
xius manet. Neque enim justitia  
Div. immota severitas, ubi dicitur  
non posso non punire peccata, ejus-  
modi subfidiariis mediis indiget;  
neque, ad rectores civitatum trans-  
ferri eandem, fas aut rectum  
pronunciat Huberus(c) Ita, quod ad  
interfectorë Gotschalchi episcopi, Mat-  
thiam Gustavi, cuius antea memi-  
nimus, licet, in vicem pœnæ civilis  
jacturā tantum bonorum & pecuniae  
fecerit, divinæ ultionis rigorem pro-  
pterea non evitavit tamen. Phti-  
seos enim infectus rabe, mortuo quam  
vivo similior, aliquandiu supervixit.

juste permutari posse supplicium  
civile, homicidio à legislatore  
vulgo statutum & impositum.  
Quod Svethici imperii reges  
Christianos, ejusque ecclesiæ  
primitivæ patres, concernit, il-  
los ex justis caussis capitalem  
noxam simplici homicidio i-  
dentidem remisisse, neque inter  
caussas immedicabiles (*Ührbot-  
mål*) retulisse penitus, bullæ  
indulgentiales, in coronationi-  
bus regum, eorumque per regni  
fines circuitionibus, promulgari  
solitæ, plus satis ostendunt. Con-  
firmat exemplum S. Sigfridi,  
Gothorum Christianorum pro-  
tomystæ multo religiosissimi,  
cujus cum sangvinis suppicio,  
interemtos nepotes, vindicare  
voluit *Olavus Skotkonungius*, rex  
Christianissimus, quemadmo-  
duin ab *Adams* appellatur: in-  
tercessit prudenter mitissimi in-  
genii

genii pontifex, regique persua-  
sit, non ut passiones servorum  
Dei, qvasi vice talionis, pari-  
bus suppliciis vindicaret, sed  
ut pecuniariam potius pœnam  
homicidis irrogaret in ædifica-  
tionem ecclesiæ, quæ religioso  
Numinis cultui usum in poste-  
ritate quam plurimis Christia-  
nis præbuit, & etiamnum præ-  
bet *Wexionensi*. Quam, non di-  
co ecclesiasticam, sed tantum  
politicam, si non nepotes ne-  
glexissent, prudentiam, gentibus-  
que cum Christianis \*\* fune-  
ris

---

\*\* *Inter Paralipomena juris pon-*  
*tificii in protestantium rebus publicis,*  
*refertur jure meritoque hec eadem*  
*consuetudo excludendi à communio-*  
*ne, & honore sepulture recepto, Chris-*  
*tianos quoque sectarios; quam i-*

ris atqve glebæ communionem  
permisissent, incolumes ipsi diu  
superfuissent muneri suo, neque  
hierarchiæ suæ tot annorum in-  
terregnum passa fuisset Smo-  
landia.

gnominiam civilem an religionis dis-  
sidio solo meruerint, alii judicent.  
Id patet exemplo veteris ecclesiæ  
modo memorato, plantandæ religio-  
ni zelum istum non admodum bene  
convenisse, multisque parasangis  
vicisse gentilium humanitatem bujus  
seculi religionem; quippe qui com-  
munis sepulture honorem hostibus  
nullo modo inviderunt, nedium ci-  
vibus, qui nullo se delicto reipubli-  
cæ ad posthumam ignominiam ob-  
strinxerant.

Theſ.

[a] 2. Sam. XIV. 21. [b] Hochstete-  
rus in tractatu suo de jure pœnarum IX.  
4. Sc. idem afferit licet paragr. II:da

proxima vir Clariss. afferat, in hanc  
mano foro locum venie non esse solum,  
sed & dari debere, si maiorem, quam  
paena, utilitatem producere possit. Huic  
adde Riperum, prorsus item sentien-  
tem, & ad homicidium etiam dolosum  
applicancem, diacepisti sua de lege, p.  
25. [c] de jure civit. p. 644. §. 10.  
fine,

### Thes. X.

**Q**UAMVIS ex modo dictis fa-  
cile patet, Christiani ma-  
gistratus auctoritatem, in omni  
homicidio voluntario, non ad  
capitalem poenam necessario tem-  
perque restrictam esse: non ta-  
men eo usque haec extendenda  
velim, ac si mihi propositum  
sit defendere licentiam homici-  
das quoscunque pessimos & in-  
remendabiles, in damnum rei-  
publicæ evidentissimum, nulla  
prægnanti de caussa, à poena  
eximendi capit, illosve impu-  
nè

ne semper dimitendi; aut et  
jam svadere principi, ut, con-  
tra regulas prudentiæ, ex viti-  
oso hic dispensem affectu. Ha-  
beant pertinaces male feriati  
vindicem in illo justitiæ gravis-  
simum in exigendis, aliorum  
emendationi, suppliciis atrocis-  
simis, si postulet necessitas; ne  
bonis vitæ tranquillitas faculta-  
tumque suarum adimatur cu-  
stodia. Qvod si vero incident  
tempora, queis nonnullorum  
spes præsumta civium, publi-  
cis pridem erasa tabulis, veri-  
tatis & dominii diversam rela-  
tionem non agnoscat, adeo-  
que, contra rationem, sub præ-  
textu cultus divini revelati,  
principibus potestatem aggrati-  
andi homicidii penitus & abso-  
lutè derogare sustineat, eidem,  
validissimi propylæi instar, ob-  
tendum omnino illud doctri-

hæ civilis axioma primarium:  
*Religionis & rei civilis*, qvam  
 vis subinde privatim & appa-  
 renter, publicas & genuinas ta-  
 men à se invicem nunquam dis-  
 sidere rationes, seu qvod idem  
 est: Deum, sanctione suarum le-  
 gum, nunquam perturbare volu-  
 isse societatum civilium securi-  
 tatem & incoluntatem. Qui-  
 bus positis, cum Hannekenio  
 magni nominis Theologo ex æ-  
 quo & bono concludimus: Chri-  
 stiani magistratus non esse restricti  
 ad certam pœnam & necessariam,  
 auctoritatem; & proinde jus aggra-  
 tiandi plenum possidere secundum  
 statum liberum N. Testamenti; non  
 qui libertate gaudeat impunita face-  
 re scelera, sed qui fidi prudentia  
 disciplinam custodiamque divinarum  
 humanarumque legum gubernet. (a)  
 In summa: delictis, qvorum na-  
 tura constat turpitudo, quæque

D                   habet

habet in scriptura constitutam  
pœnam, veniam dare non nisi  
difficulter, & ex caussis præ-  
gnantibus, oportet principem.  
Quod si vero inconsulta animi  
levitate, aut præpostero affectu,  
princeps subtrahat reum pœnæ,  
divina & humana lege constitu-  
tæ, adeoque incolumem præ-  
stet, quem publice & privatin  
melius fuisset (*b*) è medio abo-  
levisse, perperam usurpati mu-  
neris nomine, Deo atque rei-  
publicæ suæ obligari, neque du-  
bitamus afferere.

[*a*] Hannek. de jur. aggr. p. 22.

[*b*] Prudenter & cum iudicio Buddeus  
diff. de Concord. relig. & stat. civ. p.  
228. afferit: in hac seculi corruptione,  
sine suppliciis capitalibus, securitati  
publicæ, quod nonnulli volunt, com-  
suli minime posse.

S, D, G.

Auctori operis solertissimo, sobrieque  
Philosophiae Candidato clarissimo

Dn. LAUR. EREDASHL

Fautori & amico honorando.

NON modo quam tractas, Efec  
dahl / valde ardua res est,  
Pulcra sed atque ingens utilitatis  
opus;

Hinc mea musa tibi paucis si carmina  
nectit,

Fac capias: gressus gratulor e-  
gregios!

Atque tibi Pallas dignissima premia,  
credo,  
Scicelidum manibus, non inimica  
parat.

Sic bene vicisti patienter cuncta fe-  
rendo,

Ac eris agnatis gloria magna tuis.

Vive

Vive diu! multumque uige sub sidere  
fausto,  
Et decus in patriæ fulgida stella  
elue!

Gratulabundus, quamvis festinante  
calamo, L. M. adposuit

Henric. Lithanus.  
V. D. Minister.

B. L. S.

**S**err EACD A H L lehrt hier mit  
stark gesetzten gründen  
Nicht: ob ein Christlicher Re-  
gent sich mög verbinden  
Geb keine Lebens Straff zu exe-  
quirn?  
Weil doch die Obrigkeit das  
Schwerdt muß führen  
Hier ist die Frag: ob dann der Höch-  
ste Herr im Lande  
Auch Gottes Richter-Bild bey dem er-  
habnen Stande  
Beweise, wann Er aus gerechter  
Macht  
Beym Mord gelindre Straffē zu-  
gedacht?

Er

Er schreibt: Ja, dazu! und gibt uns  
zu verstehen,  
Er dürfe nicht nach der gemeinen  
Meinung geben;  
Weil Er nun Gott und seinen Kör-  
nig Ehrt,  
So sey sein Glück aus Ende der Gnad  
vermehrt.

Dem liebwehrten Herrn Candidate hat hier  
mit sein verbindliches Gemüht verpfänden  
wollten

Christian Heinrich Seelmann.  
Korkopias-Ostro-Gathus..

### Eidem.

In die am animi Tui constantiam &  
humanitatem singularem, Cla-  
viss. Dn. Candidate, si alias, qua-  
Te eximie ornant virtutes, silentio  
preterire liceret, vel ut benigniores  
nature dotes, vel ut Tue ipsius  
in iustia & experientia fructus &  
lucra, vel denique ut horum omnia  
pignora ac documenta certissima,  
quotquot communi patria, studio, vi-  
ge usu aut alio Tibi vinculo juncti  
fuer-

fuimus, estimamus, suspicimur, ne  
meramur. Illam quidem in eo per  
spectem cunctis reddidisti, quod nul-  
lis difficultatibus molestiisque à vera  
honestatis semita te abduci passus sis;  
verum, assiduo labore & partinaci  
quadam perseverantia, in id enixa  
incubueris, ut ad apicem eruditio-  
nis vere, & virtutis non fucatae,  
tandem assurges victor. Altera,  
humanitas nimirum Tua, vel inde  
patescit, quod adeo neminem verbis  
vel factis ipse laeseris, ut potius hac  
egregie elaborata dissertatione, in qua  
absg, lesione majestatis Divinae homi-  
cidæ vitam à Principe condonari posse  
probatus suscepisti, perspicue satis te-  
status sis illam Tibi precipue in deli-  
ciis esse philosophandi rationem, que  
mitiores sectata vias, justitiam pro  
rerum personarum, temporum & cir-  
cumstantiarum indole, & ex ipsa  
quandoque rei publicæ necessitate, gra-  
tia temperandam esse suadet illis,  
quibus rerum humana um arbitria  
commisit supremus universi modera-

807. Ap., cur in virtutibus hisce aliisque Tuis enumerandis prolixemor? cum meum non sit in Tuas expatiari laudes, quæ, vel me tacent, suo se pretio commendant. Ut vero affectus in Te meus plane sincerus, amicitiaeque fides, qua Tibi in primis devinctus sum, aliquo saltem indicio se proderet, Te, publicum scientiae Tue specimen editurum, fausta hac acclamazione prosequi inter partes officii duxi. Quapropter meum est, atque erit semper, votum, ut, finitis jam jam sudoribus hisce Academicis, felici aura in oras, unde exieras, renaviges, & per longam annorum seriem præmia fructusque virtutis & doctrine ibi obveniant exoptabiles, jucundi, copiosi.

Ita prolixiori animi affectu,  
quam verborum ambage,  
applaudit

Petrus Tolsdorf  
W. Smol.

Td

Philosophie Candidaten

Herr LAUR. ERIC DAHL

Andra gången vid den Kongl. Academien i Abo disputerade.

**E** spåda åhe at missa bort  
Sin Far och Mor, mån för  
råd fort.

Ej blir då at studera?

Jag troe den som det smakat på,  
Och wet hwad sikt betyda må,

Det esterstånd er mera.

Allt detta ock förstår I grant,  
Herr Candidat; men är ock sant,

Om jag det far förklara:

I, näst dens Högstaas omsorg blid,  
Att wäl använda ungdoms tid,

Er flit ej welat spara.

Så skier nu snart, jag spår förut,  
På mōdan Er ett lyckligt slut,

Då Lager-Crankz tildelas.

Hvarjämte jag här önska wil:  
Allt godt Er HErron dele til!

Som lär ock icke felas.

Utttrade således fin fägnad o  
wälmening

Joh. Bergstedt.

Wex. Smol.